



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XC. Sancti Gvidonis Collegivm Anderlacense, in suburbano  
Bruxellensi, in Brabantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

*predicti Episcopi anno III. Salus & gloria omnibus Christianis.*

Post Ringotum Guilielmus aduocatus Atrebatensis Bethuniæ & Teneramundæ dominus eiusque coniux *Machtildis* varias decimas Eccl. Teneramundanæ contulerūt: quam donationem rogatu *Machtildis* viduæ confirmavit Ioannes de Betunia Cameracensis Episcopus, frater Guilielmi Aduocati, vt ex diplomate constat, anno 1217. dato. Eadē *Machtildis* à morte mariti tres facellanas in totidē Canonicatus conuertit. Exstat ea de re diploma anno 1215 datum. Non multò post etiam aliæ Capellaniæ, quas *Machtildis* instituerat, in Canonicatus conuersæ sunt à *Roberto* filio, vt creditur: & sic ad duodecim præbendas numerus adauctus est: quarum omnium ius patronatus & collatio ad Flādriæ Comitem tāquam Teneramundæ Dominum spectat. Sic ferè David Lindanus libro secundo de Teneramunda capite secundo.

## CAPVT XC

SANCTI GUIDONIS COLLEGIVM  
*Anderlacense, in suburbano Bruxellensi, in Brabantia.*

**S**anctus Guido Cōfessor in pago Brabantensi tugurio rusticano, & paupere domo natus, oculis parentum fucabatur in primæua ætate certas horas, quibus Ecclesiam  
ora-

oraturus adiret. Nec hilarem eum vlla dies videbat, nisi priùs aut orasset, aut eleemosynam protulisset. Ecclesiæ Beatæ Mariæ in *Laken*, hodieque miraculis celebri, haud procul à *Bruxella* multis annis feruiuit, velut alter *Nepotianus*; eam floribus & ramis exornans, omnia in nitore conseruans, atque in omnes cæremonias piè sollicitus. Postea per septem annos peregrinatus est *Romam*, *Ierusalem*, & ad alia sanctorum loca. Vnde *Anderlacum* reuersus, peste inguinaria sæculi ærumnas consummauit, sepultus in cœmiterio anno *III2*. Sed Deo sanctum suum per crebra miracula mirificante, *Gerardus* Episcopus, successor *Liethberti*, eum eleuauit in natiuitate *Baptistæ*; & ex confluentium oblationibus noua basilica super eius tumulum est sumptuosè ædificata; in qua *Canonicorum* octodecim celebre collegium à *Domino Gasbecano* institutum, & dotatum diuina, officia reuerenter peragit. Locus dicitur *Anderlacum*, & à recentioribus, *Anderlechtum*, *Bruxellensibus*, apud quos indigenæ iure ciuium gaudent, vicinus. Sic ferè *Molanus* in natalibus *Sanctorum Belgij*.

## CAPVT XCI.

BEATÆ MARIÆ COLLEGIVM  
*Cathedrale Antuerpiense in Brabantia.*

**C**ollegij nostri Antuerpiani fundator fuit *Godefridus Bullonius*, qui ex *Lotharingiæ*